

& in varijs operibus edendis sustineo, & quæstuosas artes omitto, ut Deo
gratitudinem in conseruatione huius sui doni ostendam. Tibi quoque
Princeps Illustrissime, Marchio ALBERTE, Dux Prussiae gratias
ago, & agent alij non stolidi homines ad posteritatem, quod ut religio-
nem, leges, disciplinam, ita & has artes, quæ religioni, & ciuili societati
seruiunt, gubernatori tuendas esse censes, & nostra studia tua liberali-
tate foues. Nec verò dubium est olim quog sapientissimorum Regum
hanc curam fuisse, ut posteris hanc sapientiam traderent, quos ut grata
posteritas meminisse posset, nomina eorum stellis attributa sunt. Ideo ab
Atlante, Orione, Chirone, Perseo sideribus nomina facta sunt. Nam hi
Principes viri cœlestis motus obseruârunt, anni metas constituerunt, &
ut ego existimo, insignes euentus præuiderunt, & recens tabulae Alphon-
siniæ dictæ sunt, quod sapientissimi Regis consilio, & liberalitate hæc do-
ctrina restituta est, & tabulae constructæ sunt, quarum iam annis plus
ducentis præcipuus usus fuerit. Eodem consilio & ego has Tabulas Prus-
tenicas dici volui, ut sciret posteritas tua liberalitate, Princeps AL-
BERTE, nos adiutos esse, & tibi gratiam abijs, quibus profuturae sunt,
deberi.

Etsi autem honorificum est relinquere nominis & virtutum mes-
moriam in scriptis, historijs, in tropheis, in ædificijs, tamen multò splen-
didius est & gratius, habere monumenta in his pulcherrimis, & perpe-
tuis corporibus, cœlo & stellis quasi fixa, quas quoties aspiciunt homines
docti, & bene morati, excitantur, primùm ut celebrent Deum condito-
rem huius mirandi operis, deinde ut gratias agant, quod monstrauit
motus, postea etiam de beneficijs magnorum Principum, & scriptorum
cogitant, quorum laboribus hæc sapientia conseruata & propagata est.

Cum igitur & tuarum virtutum memoria in hac cœlestium mo-
tuum doctrina posteris tradatur, spero tibi officium nostrum gratum for-
re. Artifices verò probaturos esse & voluntatem meam, & laboris ma-
gnitudinem, & opus ipsum, confido. Sciunt enim veteres tabulas cum
phanomenis non amplius congruere, ac emendationem necessariam esse.
Laboris verò magnitudo inde iudicari potest, quod nemo tot seculis ta-
bulas emendatores edidit. Vir doctissimus quem vel Atlantem, vel
Ptolemaum alterum nominare possumus, Copernicus, et si constitutis ob-
seruationibus demonstrationes et motuum causas eruditissime tradidit,
tamen